

potentia, ut ita in iisdem nullam prorsus collocare liceat fiducia.

XXXIX. Atque hinc sanctissimi quiq; DEI homines, qualibet etiam sanctitate polluerint, si querantur, utrum operibus suis confisi, hereditatem in caelis sibi repositam expectaverint, an potius in sola DEI gratia omnem spem suam fixam locatamq; habuerint? mox uno ore operibus suis nuncium mittent, & ad gratiam ac misericordiam Dei gemebundi confugient, ut ibi animabus suis requiem inveniant.

XL. Exclamat sane Moyses vir DEO carissimus, Exodi 34. v. 7. Domine coram te nemo est innocens. Lamentatur Hiob. c. 9. v. 28. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parcas omni delinquenti; Conqueritur David. Psal. 130. v. 3. Domine si peccata imputare volueris, quis sustinebit? Fatetur Esaias cap. 64. v. 6. Omnes nostrae iusticiae sunt sicut pannus mulieris menstruatae: Protestatur Daniel c. 9. v. 7. Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei: Confitetur Paulus Rom. 7. v. 14. Ego carnalis sum venundatus sub peccatum; Contestatur Iohannes 1. cap. 1. v. 8. Si dixerimus nos non habere peccatum mendaces sumus.

XLI. Quod si quiritantur Sancti numerum peccatorum suorum esse incomparabiliter majorem, quam numerum bonorum operum, & non dubitant peccata sua capillis capitis & arenae maris comparare, quae igitur audacia est, laudem iusticiae coram Deo valentis, ex operibus sibi velle arrogare?

## II.

*Bona opera non sunt necessaria ad salutem promerendam?*

XLII. Causa meritoria justificationis & salutis nostra est unica eaque sufficientissima unius Christi obedientia, *SAM*

§.

Sancti operibus suis diffidunt.

Moyseſ.

Hiob.

David.

Eſaias.

Daniel.

Paulus.  
Iohannes.

2.

Bona opera non sunt meritoria salutis.

I.

Obedientia Christi sufficientis meritum